DE BALSAMINE. CAP. LXIX.

C

NOMINA.

QVO nomine ueteribus tum Græcis cum Latinis appellatæ sint hæ plantæ, me ignorare ingenuè fateor. Puto autem illis planè fuisse incognitas, quod de ijs ne uerbum quidem apud eosdem scriptum inueniatur. Hodie Balsamines nomine uocant. Causam indicabimus paulò pòst. Germani ad latinam nomenclationem alludentes, Balsamkraut/haud (arbitror) ineptè appellabunt.

GENERA.

Prima Balsamine. Duo Balsamines genera damus. Primam, quam nos certioris discriminis gratia marem fecimus, Ligures Padani Balsaminã uocãt, Hierosolymitanũ pomum Hetruria, Mirabile Gallia, uulgus Italorum Charantiam, quoniã septi modo in hortis fenestrisq; per cancellos opere topiario facilè digeratur. Alteram, quam fœminã nominauimus, Itali neutro genere Balsaminũ appellãt, priori quidem quod ad fructum attinet simílis, nisi quod minor est, in alijs dissimilis: neq; enim folijs, neque etiam floribus respondet. Vtraq; planta uisu pulcherrima est, ut hoc saltem nomine pingi meruerint. Etsi præstet etiam harum habere picturas, ut de ijs plura inuestigandi posteris occasio aliqua sit.

Hierosolymitanum pomum.

Mirabile pomũ.

Charantia.

Altera Balsamine.

Balsaminum.

FORMA.

Primæ. Prima tenuibus prælongisq; flagellis ultro citroq; reptantib. euagatur, folijs Vitis albæ seu Bryoniæ, articulatioribus, exilibus pampinis ex alarum sinu prodeuntibus, quibus illigantes sese cancellatim uicinis implicant pergulis: flore cucumeris ex albo in luteum languescẽte, turbinato utrinq; fructu, carnosa cute, & per uersus uerrucosa, ac rigidioribus bullis intumescẽte, cucumeris syluestris pusilli similitudi

D ne, puniceus maturo color, cartilago intus punicea uel lutea, sanguineusq; succus. Pomum maturitate dissilit, inanitasq; confracto patet, semina intus pomi formam

Alterius. referentia continens. Altera caulem habet crassissimũ, Portulacæ assimilem, in herbaceo colore rufescentẽ, folia Salicis, in ambitu incisis, flores magnos, purpureos, instar Consolidæ hodie regalis uocatæ herbæ caudatos, fructum priori non dissimilem, primo herbaceũ, dein pallidum luteúmue, pilosum, qui maturitate dissilit, inanitasq; confracto apparet, semina intus aliquot lenticulæ ferè figura continentẽ.

LOCVS.

Non nisi satæ in Germania proueniunt, Sed iam in multorum hortis plantatæ nascuntur.

TEMPVS.

Floribus & fructibus prægnantes sunt Augusto & Septembri mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Idem quod Telephium temperamentũ, potissimum alteram, obtinere arbitror. Quare in secundo ordine intenso, aut certe principio tertij exiccare, nec insigniter calefacere, primo nimirum ordine, est uerisimile.

VIRES.

Ex primi generis Balsamines seminibus oleum exprimitur, ad uulnera, quod in Corollario suo annotauit doctissimus Hermolaus, præcipuum. Nõnulli pomum oleo prius imbutum aliquot dies insolant, deinde uel fimo, uel terra tantisper obruunt, dum prorsus intabuerit, sic Balsami uires glutinandis uulneribus adsciscere

Balsamine uox unde nata. pollicentur, inde tractum Balsaminæ uocabulum. Quid multa? in uulneribus sanandis Telephio non inferiores esse conijcio, hinćq; Balsaminas appellatas. Nos tamen de ijs peculiarem experientiam nullam habemus. Poterunt itaque alij, si lubet, earundem uirium facere periculum.

DE GLYCYR-